20 Σφραγίδες verò sive signaculi appellationem sibi vendicant, quatenus invisibilem & spiritualem gratiam in electis obsignant & confirmant.

21. Facit autem Patrum & aliorum perplexitas ac discrepantia, quâ Sacramentum & rem Sacramenti, sive signum & signaculum confundunt: ut accuratius isthæc singula sint explicanda.

22. Initiò igitur freti autoritate Apostoli, qui Sacramentum Circumcisionis definit σημεῖον signum: statuimus terminum signi totam substantiam Sacramentorum exprimere: adeò ut quicquid ad integritatem & substantiam Sacramenti pertinet, ei tribuendum sit, quòd signet.

23. Constat autem, secundum Ireneum & Augustinum Sacramenti cuiusque integritas & Essentia, non re unâ: sed duplici: eaq; toto genere à se invicem dissidente: unâ quidem terrenâ ac visibili: invisibili & cœlesti alterâ.

24. Duabus hisce partibus simul sumtis, non alterutri seorsim, Sacramẽti nomẽ ac definitio proprie competit: ac proindè etiam, non uni seorsim, sed utrique rursus coniunctum signi appellatio, & signandi officium competit.

25. Notandum tamen apud Scriptores Ecclesiasticos, hanc de qua diximus vocabuli signi notationem non semper observari, sed illos alias